

vissent nefandissimi Greci, qui ibidem in praedicto territorio residebant Histriense, et dum per vestram excellentiam dispositus fuit praenominatus Mauricius episcopus, ut pensiones beati Petri, qui in superius nominato territorio reiacebant, exigeret, et eas nobis dirigere debuisset, zelo ducti tam praedicti Greci quamque de ipsis Histriensibus eius oculos eruerunt, proponentes ei, ut quasi ipsum territorium Histriense vestrae sublimi excellentiae tradere debuisset. Propterea petimus a Deo protectam excellentiam vestram, amantissime fili et magne rex, ut iubeas dirigere Marcario duci praeciendum, ut iam-fatum Mauricium episcopum, qui in visione vestrae excellentiae praesentatus est, ut eum in suo episcopio reverti faciatis pro vestrae animae mercede, eo quod ipse iam dictus episcopus ad nos properavit et nos eum iterum direximus (ad) Marcario, duci Foroiuliensi, ut, qualiter a vobis fuerit dispositus, ita peragere debeat. Et hoc petimus excellentiam vestram, ut per vestrum congruum dispositum ipse adpraehendatur, prout salus populi, qui ibidem commoratur, proveniat.

Incolumen excellentiam vestram gratia superna custodiat.

36. — 785. *Adriano I papa a Carlo Magno.*

FONTE: *Codex carolinus*, n. 86 (cod. Vindob., n. 449, c. 79).  
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 622 sg.

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali campatri Carolo, regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum, Hadrianus papa.

Ad aures clementissimae regalis excellentiae vestrae intimantes innotescimus, quia, dum vestra regalis in triumphis victoria praeciendum emisit, ut a partibus Ravennae seu Pentapoliis expellerentur Venetici ad negotiandum, nos ilico partibus illis emisimus, vestram adimplentes regalem voluntatem. Insuper et ad archiepiscopum praeciendum direximus, ut in quolibet territorio nostro iure